ORATIO INAUGURATORIA STUDIORUM BONONIENSI IN ARCHIGYMNASIO...

Flaminio Scarselli



ORATIO
INAUGURATORIA
STUDIORUM

BONONIENSI IN ARCHIGYMNASIO

HABITA

A

FLAMINIO SCARSELLIO

HUMANIORUM LITERARUM LECTORE EMERITO,

ET EXCELSI BONONIÆ SENATUS


A SECRETIS



Pridie Nonas Novembres

MDCCLXII.





I quo primum die post longum Patriæ desiderium expectatissimo, & omnium, quotquot memoria repeto, jucundissimo a diuturno silentio ad pristinam redeo rationem, consuetudinemque dicendi, hoc ipso die latam, & expeditam ad optimarum Artium studia patere viam, nec impedimenta naturæ, nec adversos fortunæ casus, nec cætera vitæ incommoda fausto, & glorioso cursui obesse, cunctationemque propterea omnem, atque formidinem abigendam esse contendero, non dubito me vel insipientiæ, vel impudentiæ nomine reprehensum iri, & in maximorum virorum sive contemptum, sive indignationem protinus incursurum. Jam enim audio nonnullos haud obscure contradicentes, & dissimulantiam hanc meam graviter increpantes. Hem

egregium, inquiunt, hem præclarum videlicet Oratorem, ſeu effrontem potius, & ineptum Circulatorem, qui ab ipſo Orationis aditu aſſentari nobis, atque blandiri, noſque in re graviſſima fallere non vereatur. Sed hominem agnoſcimus, magnis, ut veterem Urbis dominæ habitatorem, elatum ſpiritibus, ſplendidiſque educatum, atque eruditum exemplis, neque tam de ſententiarum veritate, quam de argumenti jucunditate, & pompa ſollicitum. Huic nempe ſi credimus, nihil jam erit, quod non appetere, quod non moliri, quod non audere ingenia debeant, moribuſque illorum, & ſtudiis ſenſim adhærebimus, qui ſapientes cum non ſint, & ſapientes tamen haberi velint, ſummam rerum omnium ignorationem, turpemque deſidiam mira ſermonis arrogantia, & incredibili agendi temeritate obtendunt, ac protegunt, & quam aut ingenii præſtantia, aut doctrinæ virtute tueri nequeant labantem ac dubiam nominis exiſtimationem & famam, nobilitate generis, offitii auctoritate, loci amplitudine, veſtium nitore, tarditate greſſuum, geſtus compoſitione, oris & vultus gravitate ſuſtentant, & inanem vulgi admirationem, popularemque gloriam aucupantur. Ego vero criminationem iſtam ita moleſte fero, quin & ipſam hujuſce criminis ſuſpicionem uſque adeo abhorreo, ut malim indoctum me, at modeſtum, quam doctum, & impudentem exiſtimari; & quam olim ex hoc loco differens palam profeſſus ſum, certiſſi-

miſ-

misque rationibus comprobavi, hanc ego sententiam teneo, & prædicabo, dum vivam, non fallacem, ac vacuam doctrinæ opinionem, sed veram, solidamque doctrinam probis, & ingenuis Adolescentibus expetendam. Verumtamen cum inter multas, ac varias, quæ in excolendis Artibus offendi solent, difficultates & moras importunus quidam angor, ac metus, animique demissio, & quasi desperatio studiorum rationem plerumque tardet, nonnumquam etiam impediat, operæ pretium facturum me duxi, si posteaquam anno millesimo septingentesimo trigesimo octavo effrænatam quorundam audaciam, atque immodestam securitatem infringere, & emendare conatus sum, nimiam nunc aliorum timiditatem minuere, fractamque spem, & virtutem renovare, & erigere instituam. Quo sane consilio prudentis, & strenui Imperatoris imitabor exemplum, cujus hæ sunt in re bellica partes præcipuæ, non modo ut fortes, ac generosos milites in offitio contineat, omnesque temerarios ausus, & inconsideratos impetus moderetur, & comprimat, sed ut incertos etiam, ac pavidos ad subeunda pericula, ad perferendos labores, ad expugnandas arces, ad profligandos exercitus excitet, impellat, confirmet. At vires aliis, & animos addere qui viribus ipse, animoque destituar plane non possum, nisi me numine afflari tuo, summa & increata Veritas, excelsa & infinita Sapientia, tuamque adesse

mihi lucem, ac fortitudinem ſentiam. Te ergo puriſſime Spiritus, te cæleſtium munerum fons uberrime, unde ingenii opes, atque doctrinæ, & omnium præſidia, atque ornamenta virtutum ad hebetes quoque, & infirmos homines non ſine largitionis fructu, & largitoris gloria promanant; Voſque, urbis & loci Cuſtodes optimi, Præſideſque ſanctiſſimi, pro mea erga vos fide, devotione, pietate, pro veſtra in me benignitate, atque clementia enixe oro, atque obſecro, votis ut meis, ſtudiiſque bene auſpicantes inſtitutum Orationis curſum ad publicam dirigatis utilitatem, & ad eum exitum, quem cauſæ magnitudo, & literarum dignitas poſtulant, feliciter perducatis.

In adeundis optimarum Diſciplinarum receſſibus, aperiendiſque myſteriis ingenuum quemdam pudorem, & plenum verecundiæ metum non modo non improbandum exiſtimo, ſed imperitis præſertim, & inexpertis Adoleſcentibus magnopere commendandum. Quid enim cenſeamus de cæteris ſive doctoribus, ſive doctrinis, poſteaquam M. T. Cicero, ſingulare illud, & admirabile lumen ingenii, L. Craſſum Oratorem maximum de claris ſui temporis Oratoribus, & de ſe ipſo ita loquentem inducit: *Equidem & in vobis animadvertere ſoleo, & in me ipſo ſæpiſſime experior, ut exalbeſcam in principiis dicendi, & tota mente, atque omnibus artubus contremiſcam. Adoleſcentulus*

tulus vero ſic in initio accuſationis exanimatus ſum, ut hoc ſummum beneſitium Q. Maximo debuerim, quod continuo conſilium dimiſerit, ſimul ac me fractum, ac debilitatum metu viderit. Sed habet iſta ratio verecundiæ, ac timoris, aut certe habere debet in addiſcendis, & explicandis Artibus quemdam modum, quem niſi mature adhibueris, cum præſumpta deſperatione evadendi quo velis nec ſumma ſpectes, nec ad media contendas, neceſſe eſt te in ipſo ſtudiorum limine hærere, & circa ima ſubſiſtere. Atqui ea, quam ingredimur, via plurimis ſepta eſt undique, & impedita difficultatibus, atque periculis. Fateor equidem, ſed ante videndum eſt quot, & quanta ſint hujuſmodi impedimenta, quantique facienda. Sunt igitur qui brevitatem humanæ vitæ, ſunt qui naturæ infirmitatem, ſunt etiam qui perpetuam fortunæ perverſitatem accuſent. Dolent alii tarditatem ingenii & hebetudinem, alii judicia hominum plerumque fallacia, interdum improba reformidant. Magnam denique partem Artium difficultas moratur; proſternit, & obruit amplitudo. Jam quid valeant ſingula attendite; apparebunt enim, ut ſunt, cogitando parva, & fient experiundo minora.

Vetus nimirum querela eſt, crebriſque uſurpata, & trita ſermonibus vitam hominis eſſe breviſſimam, cum fugientis umbræ tenuitate, atque inconſtantia merito comparandam. Quin & exigui

temporis unicuique ad vivendum dati partem ſibi non exiguam vindicant debita religionis, & pietatis offitia, reipublicæ munera, negotia domeſtica, majorum obſequia, propinquorum, & amicorum conſuetudines; tertia vero, aut certe quarta cujuſque diei, atque adeo totius vitæ pars pro varia naturæ neceſſitate ſomno teritur, & abſumitur, ut non tam quieſcere, & recreari, & ægritudines animi, & ſollicitudines ponere, quam deficere in dies, ac prope emori videamur. Danda eſt prætterea diuturnis meditationibus, atque laboribus remiſſio aliqua, modica illa quidem, ut recte admonet Quinctilianus, *ne aut odium ſtudiorum faciat negata, aut otii conſuetudinem nimia*. Quid ergo in omni vita reliquum eſt, quod literarum cultui tribuamus, ſi univerſum tempus ætatis & anguſtis contineri finibus experimur, & id ipſum neceſſe eſt in multiplices, alienaſque curas, & uſus quotidie exigi, diſtrahi, diſſipari? Satis enimvero pro ſtudio, ſatis pro induſtria, ſatis pro diligentia Sapientum; pro optimarum Artium numero, varietate, difficultate, amplitudine profecto parum. Hinc, quemadmodum a Tullio narratum eſt, *Theophraſtus moriens jure naturam accuſaſſe dicitur, quod Cervis, & Cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil intereſſet, hominibus, quorum maxime interfuiſſet, tam exiguam vitam dediſſet, quorum ſi ætas potuiſſet eſſe longinquor, futurum fuiſſe, ut omnibus per-*

fectis

fectis artibus omni doctrina hominum vita erudiretur. Num propterea & Theophrastus ipse, *qui querebatur se tum, cum illa videre cœpisset, extingui, & cæteri Philosophi, qui multa se ignorare, & multa sibi etiam atque etiam esse discenda confitebantur*, vitæ brevitate deterriti spe, & animis conciderunt, studiis, & laboribus pepercerunt? Immo vero memoriæ proditum legimus, cum multi aut juvenili, aut media ætate decesserint, pauci ad extremam senectutem pervenerint, omnes tamen Patriæ & Reipublicæ commodo, literarum ornamento, nominis celebritati diu multumque vixisse. Inventores Artium nobilissimos, Propagatores eximios, Instauratores rursum, Magistros, Moderatores quis recenseat singulos? Quis præclara cogitata, quis perpetua studia, quis innumera experimenta, quis immensa volumina complectatur? Nihil ergo in eo dolendum est, quod accidat universis, neque tam de celeri ætatum cursu, quam de recto usu temporis laborandum, ejusque spatiola omnia, & quasi frustula diligentissime colligenda, ne qua pars irrita, ne qua deserta, ne qua inanis, & vacua relinquatur. Nam quemadmodum apta rerum dispositio, & commoda distributio locorum, quibus illæ reconduntur & asservantur, opportunitatem, & quasi amplitudinem auget, ita horarum, & dierum prudens, & accurata partitio, tardiora quodammodo tempora ad elabendum facit, atque longiora.

Atqui malorum turbam quamdam ſentio ingruentem, & humanæ vitæ non brevitatem modo literatis viris incommodam, ſed infinitas propemodum infirmitates, moleſtias, perturbationes ex adverſo ſtantes, & literis inimicas intueor. Sic animo ad capeſſenda ſtudia optime comparato, ad excolenda ſatis alacri & firmo reſiſtunt interdum morbi, reſiſtunt dolores, reſiſtit virium infirmitas, reſiſtit ſtupiditas corporis, & inertia; aut contra cum vigili corpore, & valido, & patiente laboris pugnant animi curæ, pugnant ſollicitudines, pugnant angores, pugnant deterrimæ malorum omnium voluptates, quarum quo major eſt aut amor, aut copia, eo magis mentem e ſua ſede deturbant, ſtatuque dimovent. Quid ſi ad cæteras animi, & corporis ægritudines accedant temporum varietates, fortunæque viciſſitudines, cujus in rebus humanis tantus eſt dominatus, tam multa, & tam inopinata pericula, tam iniqua plerumque, tam acerba, tam effera ludibria, atque tormenta? Quid ſi paupertatem adjicimus, ſi patriæ, & generis obſcuritatem, ſi hominum inimicitias, fraudes, ſimultates, injurias? Poſſitne quiſpiam, quem tanta malorum vis circumſtet, ac impetat, tam erecto, & confirmato animo eſſe, ut doctrinæ ſtudium alacriter ineat, initum quiete, & impavide perſequatur? Hunc ſi reperias, hunc ego Socrati, hunc magno præferam Archimedi, quorum alter veneno ſumpto, & impendente jam

morte

morte de animorum immortalitate placide, & copiose disseruit, alter defixis in terram oculis, animoque in veri investigationem intento lineas non destitit ducere, circulosque describere, dum Syracusas interea igne hostis, ac ferro late vastaret, stansque miles, & districto immotum Geometram compellans gladio jam jam invaderet, & ipsius capiti immineret. Sed neque, ut arbitror, invenies quemquam tam ærumnosum, & miserum, in quem tot casus, tantasque calamitates vel natura invexerit, vel fortuna, & contra paucissimos, quos utraque rerum humanarum moderatrix, ac domina usque adeo dilexerit, ut omni solutos infirmitate, omni vacuos cura, & perturbatione dimiserit. Itaque cum ea sit conditio hominum, ut nemo non aliquod a natura ferat incommodum, non aliquod a fortuna vulnus accipiat, tum vero maxime præsidium in liberalibus disciplinis, & remedium malorum quærendum est, quemadmodum Philosophi omnes haud incassum facere consueverunt. Quid ergo jacemus, aut cur timori succumbimus, quando Artes nobis, & Literæ dubiis in rebus consilium, in adversis perfugium præbent, rei familiaris angustias sublevant, patriam nobilitant, genus exornant, gloriam, honores, opes, imperia comparant? Nulla est in sapientem fortunæ vis, si modo absit a culpa. Nam exercitatio ingenii, mentis agitatio, studium veritatis, atque doctrinæ mirifice valent ad motus animi

 com-

componendos, ad tolerandos dolores, ad leniendas ægritudines, ad excitandas, confirmandasque virtutes, de quibus pulchre, ut solet, & vere Cicero prædicat: *eas nec eripi, nec surripi unquam posse, neque naufragio, neque incendio amitti, nec tempestatum, nec temporum permutatione mutari*, & in eamdem sententiam scribens egregium Dionysii junioris responsum aptissime refert, *qui regno dejectus cum rogaretur a quodam ecquid ex Platonis consuetudine esset assecutus, an parum, inquit, vobis videor consecutus, quod presentem fortunam fortiter fero?* Adnitendum est igitur, neque tam naturæ incommoda, & rerum humanarum pericula metuenda, quam constantia animi, & fortitudo studio optimarum Artium, usuque comparanda, quæ profecto si aderit, numquam in consilium cogitationum nostrarum vel desperationem adhibebimus, vel timorem.

At pauci sunt, qui expedito, & celeri ad percipiendas, facili, ac nitido ad explicandas Artes ingenio polleant; multi contra, quos inter cæteras naturæ infirmitates ab ipso sapientiæ limine prohibet ingenii tarditas, atque hebetudo. Immo vero *falsa est*, si Quinctilianum audimus, *falsa est querela paucissimis hominibus vim percipiendi quæ tradantur esse concessam, plerosque vero laborem, ac tempora tarditate ingenii perdere. Nam contra plures reperias & faciles in excogitando, &*

ad

ad discendum promptos; quippe id est homini naturale; ac sicut aves ad volatum, equi ad cursum, ad sævitiam feræ gignuntur, ita nobis propria est mentis agitatio, atque solertia, unde origo animi cœlestis creditur. Hebetes vero, & indociles non magis secundum naturam hominis eduntur, quam prodigiosa corpora, & monstris insignia. Sed hi pauci admodum; fuerit argumentum, quod in pueris elucet spes plurimorum, quæ cum emoritur ætate, manifestum est non naturam defecissè, sed curam. Ita acerrimus ille ingeniorum æstimator & judex. Sunt tamen, ut idem fatetur, ingenia quædam imbecilla prorsus, ac nulla, quibus de liberalibus Disciplinis præcepta tradere perinde fuerit, *ac de agrorum cultu sterilibus terris*. Hujus notæ Adolescentes meo quidem judicio statim dimittendi, & si quo forte natura ducantur, mature & provide transferendi: In humilioribus quoque, & mechanicis Artibus sua inest dignitas, & vera laus; quippe quæ aut omnino sunt societati, & vitæ hominum necessariæ, aut magnas afferunt ad usus Reipublicæ commoditates. Cæterum rationis & consilii plena humana mens admirabilia plerumque exerit ingenii lumina & ornamenta, neque mortalium quisquam nascitur, cujus animo non ingerat Deus veritatis, & sapientiæ uberrima semina, in quibus elementa, & opes scientiarum omnium non secus, atque in exiguo plantæ semine totius arboris surculi,

culi, frondes, flosculi, fructus, partes denique omnes vel tenuissimæ continentur. Ac quemadmodum hæ benefitio blandi, & nutritii humoris teretes fibrillas, exilesque utriculos subeuntis sensim explicantur, augentur, nostrisque oculis subjiciuntur, ita quæ in nobis latitant rerum æternarum imagines diuturna meditatione quasi evolvuntur, & cura & diligentia adhibita paulatim prodeunt, & conspiciendas se præbent. Quod si vel ipsa corporis impedimenta studio & labore vincuntur, ejusque rei, ut mittam cætera, notissimum extat in Atticæ Eloquentiæ Principe exemplum, de quo magnifice scriptum est: *Demosthenem alterum natura enixa est, alterum industria:* an dubitemus cogitationem, vigilantiam, assiduitatem, solertiam, qui unus est pastus suavissimus animorum, ad agitandam & erigendam eorumdem virtutem nihil valere, & ingenia diligentiæ usu, & offitio etiam ex tarditate non incitari? Quam porro tarditatem si cum nimia ingeniorum velocitate conferamus, utra doctrinæ studiis plus noceat, non facile judicaverim. Irrequietum enim, & præcox ingeniorum genus falsam plerumque induit scientiæ persuasionem, suisque præmature fidens viribus cum se nec labore subigi, nec arte excoli, nec diligentia temperari, & expoliri patiatur, nihil edit præclarum, nihil fructuosum, nihil ea dignum, quam sustinet, expectatione. Date precor, Auditores, hanc veniam, ut hoc etiam loco

ele-

elegantiſſima ipſius Quinctiliani de ingeniis hujuſmodi verba commemorem. *Non ſubeſt*, inquit ille, *vera vis*, *nec penitus immiſſis radicibus agitur*, *ut quæ ſummo ſolo ſparſa ſunt ſemina celerius ſe effundunt*, *& imitatæ ſpicas herbulæ inanibus ariſtis ante meſſem flaveſcunt*. Contra qui ingenio paullo tardiores ſunt levitate carent, & arrogantia, neſcire ſe quod neſciant fatentur ingenue, rerum notiones accuratius exquirunt, plenius aſſequuntur, fidelius continent, ſecum ipſi profundius reputant, cum aliis diligentius communicant, atque adeo majorum gratiam, æqualium benevolentiam, minorum admirationem merentur.

Sit ita ſane. Eritne propterea quiſpiam, qui judicia hominum tam incerta, tam varia, tam periculoſa, tam difficilia, iniqua etiam interdum, & inimica non magnopere reformidet? Ego vero, Adoleſcentes optimi, ſic exiſtimo, quandoquidem fieri nullo modo poteſt, idem ut omnes intelligant, idemque velint, nihil eſſe a vobis in tanta accuſatorum, & judicum diverſitate, inter tot ſententiarum, & obtrectationum viciſſitudines, atque procellas extimeſcendum. Nam probi quidem, & ſapientes viri prudentiam in judicando adhibent, & æquitatem, modeſtam excitant indolem, generoſos alunt conatus, diligentiam adjuvant, labores & ſtudia commendant, ſi quæ præclare vel dicta, vel facta ſunt, præmiis, & honori-

noribus proſequuntur, ſi quid contra peccatum eſt, in id blande, & humaniter, non acerbe, non aſpere animadvertunt, rem arguunt, voluntatem excuſant, & quæ deinceps eligenda, aut cavenda ſint, quæ mutanda, aut renovanda, amice monent, & liberaliter pandunt. Judicia hujuſmodi non injuſta, non incommoda, non moleſta, ſed æqua, ſed lenia, maximeque ad expurgandam, perficiendamque doctrinam accommodata quis denique metuat? quis abhorreat? quis refugiat? non optet potius? non diligat? non vereatur? Improborum autem, & inſipientum opinionibus commoveri, eamque ob cauſſam ab excolendis Artibus, a rebus gerendis abduci, ſolitaria, & veluti umbratili vita palleſcere aut inertiſſimæ ſegnitiæ fuerit, aut faſtidii delicatiſſimi. *Philoſophia paucis eſt*, ut affirmat Cicero, *contenta judicibus, multitudinem conſulto ipſa fugiens, eique ipſi ſuſpecta, & inviſa.* Idem de reliquis Facultatibus intelligendum, quæ popularia judicia ſtultorum, improborumque conſenſu excitata plane deſpiciunt, atque infra ſe poſita merito arbitrantur. *Ad poſteros virtus durabit*, ait Quinctilianus, *non perveniet invidia.* Et rurſum Cicero: *quid de te alii loquantur ipſi videant, ſed loquentur tamen. Sermo autem omnis ille & anguſtiis cingitur iis regionum, quas vides, nec unquam de ullo perennis fuit, & obruitur hominum interitu, & oblivione poſteritatis extinguitur*. Minime vero omnium, meo quidem conſilio,

timen-

timendi sunt, qui arbitratu quodam suo, atque consuetudine censores agunt, & judices acres, indociles, rigidos, importunos, nihilque satis dignum putantes quod imitentur, nihil invenientes quod probent, sine ullo vel personarum, vel temporum, vel locorum discrimine permiscent omnia, atque perturbant, quidquid protuleris negligunt, quidquid egeris dedignantur, sibique ipsi plerumque graves, invisi cæteris, & ingrati libertate animi, ingenii excellentia, doctrinæ auctoritate, non ad erudiendos, & adjuvandos, sed ad reprehendendos, & conterendos homines abutuntur; ut nostra præsertim ætate cum eruditissimo Jurisconsulto Jano Vincentio Gravina dolendum sit *artem criticam, quæ discrimen erat veritatis, & temporum, atque falx errorum, nunc seditionum literariarum fomitem, ac ingeniorum turbinem evasisse*.

Sexta restat caussa, quæ maxime angere, & debilitare animos solet, Artium difficultas, & magnitudo, in quam plerique hominum intuentes aut propter inanem sollicitudinem, ineptamque formidinem ab ineunda studiorum ratione prorsus avertuntur, aut ab inita propter tædium, & impatientiam laboris turpiter revocantur. Haud equidem dissimulabo arduo, & excelso loco positam esse, quam quærimus, sapientiam; neque inficiabor suprema virtutum, & honorum fastigia non sine adscensu parumper gravi, & incommodo supera-

perari. Ergo quos pigeat cum doctis, & impigris ad summa contendere, eos ima in parte subsidere cum ignavis, & insipientibus non pudebit? Illud quoque verissimum est ex abditis plerumque fontibus hauriri Artes, difficiles habere aditus, ac plane immensos recessus, dubiis rationibus, incertisque experimentis involvi, multis, ac diversis quæstionibus implicari, animadversionibus propemodum infinitis, atque exceptionibus impediri. Ergo quos rerum novitas, caussarum obscuritas, elementorum asperitas, disputationum, legumque multitudo, ac varietas conturbet, ac frangat, eos doctrinæ dignitas non excitabit, non movebit utilitas, pulchritudo mira, & suavitas non recreabit? O inertem, o tristem, o miseram animorum infirmitatem! O ingeniorum dedecus, & turpitudinem non ferendam! Quasi vero iter ingredi periculosum, & novum, salebrosos inter, ac dubios viarum anfractus diu multumque jactari, inaccessa loca, & regiones inospitas peragrare, metam denique remotissimam, & insperatam attingere nostris ipsi consiliis, & viribus, non aliena institutione, & opera debeamus; & memoriam præteritorum temporum repetentes præclara literarum monumenta, & egregia literarum exempla, quæ magnam difficultatis partem detrahant, oneris, & molestiæ non parvam, frustra desideremus. Maximæ profecto, & immortales Majoribus nostris habendæ sunt gratiæ, quod summa cura, & incredibili dili-

diligentia omnia, quæ dispersa, & dissipata quondam fuerunt, concluserint Artibus, certisque observationibus, ac præceptis comprehenderint, longis peregrinationibus, ac diuturnis vigiliis infinitam linguarum, & doctrinarum varietatem, populorum ingenia, mores, instituta, consuetudines, regnorum vicissitudines, & imperiorum descripserint, & integram nobis patrii, ac domestici otii libertatem, & quietem reliquerint, perpetuis studiis, & experimentis multiplices subtilissimarum quæstionum nodos expediverint, naturæ principia, & leges evolverint, splendidissimis cogitatis, atque inventis facem sapientiæ prætulerint, & lucem veritatis ostenderint, testimoniis demum amplissimis, scriptisque elegantissimis materiam pene omnem in qualibet Arte occupaverint, & exhauserint, ipsamque rerum asperitatem mira sententiarum, & vocum suavitate resperserint, lenierint, temperarint. Quamquam quid ego ad minuendas Scientiarum, & Artium difficultates aut ab antiquis temporibus, aut ab externis regionibus subsidia repetam, atque adjumenta, quando presentia nobis & plane domestica, ac nostra tam multa, tam magna suppetunt, ut neque plura, neque majora (si fas est sine arrogantia dicere) vel excogitari possint, vel exoptari. Scholas, & Collegia requirimus? Scholæ pueris, Collegia patent adolescentibus, ubi quæ ad cultum, victumque corporum sunt necessaria, honeste, & commode paran-

rantur omnia, animi ad egregia literarum ſtudia, ad optima religionis, & pietatis offitia liberaliter educantur, copioſi, & nitidi diſciplinarum fontes recluduntur, doctrinæ inſignia, & ornamenta honorificentiſſima tribuuntur. Vetuſtiſſimo, & nobili gymnaſio excipi, lectiſſimis uti præceptoribus lubet? Quæ demum eſt ætas tam obſcura, tam diſſita, quam non Bononienſis Academiæ celebritas, & fama pervaſerit? Quæ gens, quæ regio tam agreſtis, & barbara, quam non Bononienſium Doctorum illuſtria nomina admiratione, & luce compleverint? Quorum ego Doctorum eruditionem, atque ſapientiam ut ſemper magni fecerim, humanitatem certe, diligentiam, liberalitatem tum in excolendis, & exornandis ingeniis, tum vero, quod caput eſt, in formandis perpoliendiſque moribus numquam ſatis prædicabo, ſummiſque efferre laudibus, & cumulare non deſinam. Bibliothecas adire juvat librorum copia, raritate, elegantia locupletiſſimas? machinas, & inſtrumenta omnis generis elaboratiſſima, pulchram, pretioſam, & a rebus omnibus inſtructiſſimam, quæ ad abſolutam univerſæ Philoſophiæ cognitionem, uſumque pertinent, ſupellectilem recognoſcere? Eſt in oculis omnium domicilium Scientiarum & Artium tota jam Europa celeberrimum ab immortali Marſilio conditum, Clementis XI auctoritate, & providentia confirmatum, Senatus conſilio, vigilantia, ſollicitudine conſervatum, benignitate Clementis XII

am-


amplificatum, Academicorum ſcriptis, experimentis, obſervationibus commendatum, qua externorum, qua civium ſtudiis, ac donis nobilitatum, paterna denique charitate, incredibili cura, admirabili, & plane inaudita Benedicti Quartidecimi munificentia non exornatum, & auctum, ſed renovatum, atque perfectum, & in tanto dignitatis, & gloriæ lumine conſtitutum, ut populos ab ultimis terrarum oris advocare, cives e ſinu Patriæ, liberos a parentum amplexu præ ſui deſiderio, & amore poſſit avellere. Quæ ſane Pontificis Maximi beneſitia, unde inuſitatam capiunt, & ſingularem philoſophica ſtudia commoditatem, recenſere nunc ſingula, & dicere prætermittam, tum quia Principis (quid dico Principis?) immo vero Parentis optimi dulciſſima recordatio ſuſpiria identidem, & lacrymas exprimens curſum Orationis abrumperet, tum quia ædes nobiliſſimas ineuntibus nitida ubique veſtigia, & prope infinita ſe offerunt liberalitatis, & ſapientiæ ſuæ, tum quia Bononienſis Scientiarum, & Artium Inſtituti, & Academiæ Commentarii æquiſſimis pariter, & magnificentiſſimis Benedicti laudibus referti ſunt: quos qui legerit, nihil ſupra vel propter rerum novitatem, atque excellentiam, vel propter dicendi copiam, atque elegantiam requirat. Ad hæc ſi Principum, & Magiſtratuum, qui curam Reipublicæ gerunt, & civium non fortunas modo, ſed dignitatem tuentur, gratia, & auctoritas in fovendis, adjuvandiſ-

que

que Artibus parumper consideretur, quot enimvero offitia cernimus, quot ornamenta, quot præmia literarum studiis provide, & liberaliter constituta! Ac præmia quidem, ut ut fortasse appareant pro tenui rerum nostrarum conditione non satis ampla, pro celsitudine tamen, & benignitate animorum, a quibus illa proficiscuntur, aut sunt, aut certe videntur amplissima. Quid quod hac cultissima in urbe nemo est fere, qui eximia generis nobilitate præfulgeat, non idem literatis viris principem in publicis, privatisque conventibus locum deferat, & illos suscipiat humaniter, & blande alloquatur, & omni cum observantiæ, tum amoris offitio devinciat, & consuetudine ipsorum, atque familiaritate quamlibentissime utatur; ut propterea minime mirandum sit eos vicissim, qui merito, & fama doctrinæ præcellant, honesta quadam fortunæ mediocritate contentos patriis e finibus ægerrime abstrahi, & amicorum, & civium, præsertim vero nobilium, benevolentiam, & comitatem quibuscumque exterorum sive præmiis, sive honoribus anteferre. Quæ cum ita sint, bono igitur estote animo, & magno, ornatissimi Juvenes; quam suscepistis provinciam alacriter sustinete; quo Parentum sollicitudo, Familiæ decus, Patriæ dignitas, Academiæ splendor, Præceptorum industria, Principum & Magistratuum liberalitas vocant contendite, pergite, properate; neque vos vitæ brevitas, neque naturæ infirmitas, neque fortunæ per-

ver-

verſitas, neque ingenii tarditas, neque opinionum varietas, aut judiciorum malignitas, neque Artium difficultas ab inſtituto curſu deterreant. Vobis enim (ut eo tandem, unde initium duxit, oratio redeat) vobis, inquam, omnibus palam, & aperte profiteor, atque confirmo ſtudiis, & laboribus veſtris, ſi modo ad rectam vitæ rationem, & ad ſalutem, felicitatemque Reipublicæ dirigantur, opem divini Numinis fidenter, & jugiter imploratam numquam, ut deſint cætera, defuturam. Dixi.



Vidit D. Johannes Maria Vidari Clericus Regularis Sancti Paulli, & in Ecclesia Metropolitana Bononiæ Pœnitentiarius pro Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Domino Vincentio Cardinali Malvetio Archiepiscopo Bononiæ, & S. R. I. Principe.

Die 9 Novembris 1762.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Vincentius Ronconi Vicarius Generalis S. Offitii Bononiæ.